

tes, complectitur, ut illustret sententiam de gratuita Justificatione, & quod antea c. II, & III, è sensu literali, nunc quoque allegoricè demonstrat, ad convincendos Adversarios: Hominem non ex operibus; sed per promissionem, gratis in conspectu Dei justificari, & salvari, aliumquè statum Judæorum esse sub lege, & alium Christianorum à lege per Christum liberatorum, atque describit (α) *Abrahamum à paternitate, vel relatione ad duos Filios, nempe Ismaelem, & Isaacum.* Habuit quidem Abrahamus filios alios ex Kethurâ, Gen. XXV. 1. 2. Hic autem, quæstio est de matrimonio primo Abrahami, vel de tempore Conjugii, quo illud duravit inter Abrahamum & Saram. Nam, illo durante, accipit Ismaelem ex Agar, non invitâ neque contradicente; sed consentiente Sarâ, Gen. XVI, 2. 3, & Isaacum ex Sarâ,

(β) *Duos Filios Abrahami (1) à suis Matribus.* Nam unius Mater fuit ancilla, alterius libera, & Mater familias in domo Abrahami, oriunda ex illis, quibus facta erat promissio de benedicto semine, (2) à nascendi modis planè diversis, atque à se invicem discrepantibus. Nam Ismael natus est non juxta Dei verbum, & singularem promissionem; sed secundum voluntatem, & consilium Saræ carnale, vulgari, & carnali ratione est procreatus, secundum viam, vel communem ordinem. s. cursum naturæ, ex muliere non sterili; sed vegetâ & foecundâ, sine peculiari præeunte promissione. Isaac verò natus est ex liberâ, secundum promissionem, vel vi promissionis divinæ, præter consuetum naturæ ordinem, & cursum, è sterili, & effoetâ muliere Sarâ, Gen. XVII. 19 XVIII, 14, non ex virtute physicâ Saræ, neque ex naturali vigore Abrahami, cum ipsius corpus fuerit em ortuum, sc. quoad generandi naturalem aptitudinem, Rom. IV, 19; sed ex singulari virtute, & operatione Dei.

[2] *Explicat, quòd hæc sint per ἀλλοτρίαν dicta, quod*  
(α) pro.